Sigismundus dei gratia Rex Poloniae Magnus Dux
Lithuaniae Russiae Prussiae Masoviae etc. dominus et heres

Venerabilibus Prelatis et Canonicis totique Capitulo Ecclesiae Cathedralis Varmien. devote nobis dilectis gratiam nram Regiam. Venles devote nobis dilecti. Dederamus Commissionem Terrarum et Civitatum nostrarum Prussiae Consiliariis, in transacto nuper Conventu Grandentino congregatis, ad instantiam cuiusdam Henrici pellionis, qui se Civem Civitatis, ut asserebat, nrae Varmien. esse aiebat, sibique in ea domum suam uxorisque suae Alexandri Gentsch sacerdotis filiae violenter a Nobili Nicolao Plothowski ablatam conquerebatur, ut ea in re illi iustitiam auctoritate nra impartirent. Quam nostram Commissionem quum dicti nostri Commissarii exequi statuissent, Rndus dominus Joannes Epus Varmien. et Venlis Paulus Plothowski eiusdem Ecclesiae Prepositus et Canonicus, tum vero ad ea Comitia nuncius noster, nomine vestro, ab ipsis nostris Commissariis postularunt, ne quicquam hac in causa contra privilegia et libertatem Ecclesiasticam attentarent. Verum hunc pellionem qui subditus vester et oppidi vestri Fran[illegible] [illegible]t vestrum Iudicium remitterent, quod haec causa ob violentiam, si[illegible] [illegible]qua ad subditum vestrum pellionem pertineret. Idque non iniuria concessum vobis se a Commissariis nris probamus, quandoquidem Iurisdictionibus Ecclesiasticis per sinistram ad nos delationem factam preiudicari nolumus. Quare vobis Committimus ut ipsi vos cognoscatis, cuius haec domus propria fuerit: pellionisne an Alexandri. Illud autem inprimis a vobis animadverti velimus: si qua fraus per Alexandrum in domus huius alienatione admissa est. Nam si nulli mortalium multo minus haeretico dolus et fraus patrocinari debet, facture pro debito suo et gratia nra Regia sic et non aliter. Datum Vilnae feria quinta ipso die Sancti Martini pontificis. Anno domini Millesimo quingentesimo quadragesimo. Regni vero nostri anno Trigesimo quarto

Commissio Sacrae Regiae
Maiestatis propria

10 Nov. 1540.

4v.